Disputatio inauguralis medica de gangraena et sphacelo / [Anastasius Hertzog].

Contributors

Hertzog, Anastasius, active 1690.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, [1695]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rnzrghbx

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

9

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

GANGRÆNA ET SPHACELO.

Quam

DUCE ET AUSPICE

Summo Naturæ Gubernatore

AUTHORITATE ET CONSENSU

Gratiosissimi ac Excellentissimi Medicorum Basileens. Ordinis,

In

Alma hac & Florentissima Rauracorum

VNIVERSITATE,

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA Honoribus & Privilegiis Doctoralibus ritè consequendis,

Publicè ventilandam proponit

ANASTASIUS HERTZOG

Kirchemâ Tecc. Würtenberg.

Ad diem 18. *Julii An.* M D C XC.

Loco horisque solitis.

BASILEÆ,

TYPIS JACOBI BERTSCHII.

VIRIS

Nobilißimis, Excellentißimis, Amplißimis, & Experientißimis,

DN. SALOMONI REISELIO, DN. GEORGIO GMELINO, DN. JOHAN. CASPARO HÆRLINO,

Sereniſsimi Würtembergiæ Ducis Conſiliariis & Archiatris Celeberrimis,

Mecœnatibus ac Promotoribus ſubmiſſo

cultu & ſincero pietatis affectu æternùm devenerandis.

NE miremini, Viri Celeberrimi, Diſſertationem hanc Inauguralem Veſtris dedicatam Nominibus, in lucem prodire; quando enim veſtrorum in Rempublicam Litterariam, hinc & bonos quoscunq; meritorum fama non ad meas ſaltem pervenit aures, ſed litteratum jam Orbem gloriosè pervagatur, mea ſimul tenuitas omni indigens patrocinio requirere videbatur, ut, poſtquam Divini Numinis Auxilio, Studii Medici, cujus amore ab incunabulis ducebatur animus, curſum abſolvi, indeq; ad Examina Doctoralia à Celeberrimo Medicorum Baſileenſium Ordine, gratiosè admiſſus fui, obſequioſi animi teſtandi ergò, Theſes has qualescunque Excellentiis Veſtris, debito cum obſervantiæ & honoris cultu conſecrarem; quas proin, ut ſerenâ fronte excipere, ſimulac ſtudiis conatibusq; meis laudatißimo benè cupiendi affectu gratiosè favere dignemini, humillimè obſecro; Deum Ter Opt. Max. pro Excellentiarum Veſtrarum incolumitate perenni, & omnigenâ proſperitate devotâ mente precatus. Valete.

Scripſi in Athenæo Baſileenſi, D. 26. Julii 1690.

EXCELLENTIARVM VESTRARVM

Obſervantiſſimus Cultor & Cliens

ANASTASIVS HERTZOG,

Σὺν τῷ Θεῷ.

PRÆFATIO.

Um plurimæ, fereq́ innumerabiles sint calamitates, quibus humani corporis sanitas offenditur, veruntamen nullus vitæ, & incolumitati humanæ infensior reperitur Tyrannus, quàm Gangræna, hancq́ frequenter subsequens Sphacelus. Hic enim tantâ atrocitate, atq́ sævitiâ in humanum corpus sævit, ut nulla propè pars sit, quæ ipsius Tyrannidi & sævitiæ se subtrahere, aut ab ejus invasione secura esse possit; imò subinde nobis viventibus, integræ partes corporis nostri, immanes inter cruciatus & æstum igneum, tandem omni sensu motuq́ destitutæ, moriuntur atque computrescunt, ita ut crudeli statim manu Chirurgi, ense rescindendæ sint, ne sinceræ partes simul inficiantur. Nec enim malum hoc adinstar aliorum morborum perfunctoriè infestat, aut ad salutem quandóq́ partis affectæ terminatur, sed ubi semel nidum suum composuit, pertinacissimè inhæret, & haud duntaxat partem illam, quam aggreditur, corrumpit ac mortificat, sed sæpiùs cito pede progreditur, &, nisi citissimè occurratur, totam Microcosmi machinam destruit, ægrumq́ sine ulla salutis spe, è medio tollit. Nobis inpræsentiarum lubuit Gangrænam & Sphacelum, pro ingenii & experientiæ modulo, examinare publiceq́ exponere. Benè cœpta Deus Triunus secundet!

THES. I.

G*Angræna*, vox est Græcæ originis, juxta nonnullos derivata à γεφίειν, comedere, quia maximè devorat, instar cancri vel Lupi. Dicitur & aliis *Ignis S. Marcelli* & *Antonii*, *Ignis Persicus*, *Esthiomenos*. Germanis vocatur **der heisse Brand**/ meliori jure potest dici **die anfangende Ersterbung**/ quoniam principium est τῆς νεκρόσεως.

II. Hinc enim definitur incipiens mortificatio partium mollium

mollium, & ossearum, cum livore, dolore ardente, & maximè pungente, orta, à sanguine acriore & corrosivo viscido, aliisque causis fluxum & refluxum humorum impedientibus.

III. *Sphacelus*, à Græco nomine Σφάκελος, ἀπὸ τοῦ σφάζειν, à jugulando, enecando dicitur, quia affectus hic partes corporis humani viventes, modò semel in illis radices egerit, enecat. Ab aliis dicitur Σφακελισμὸς, item *Esthiomenos*, *Necrosis*. Latinis autem *Sideratio*, id est, *Sideris Perculsio*, *Mortificatio*, *Corruptio*, *Putrefactio*, plerumque tamen retentô Græcorum nomine, appellatur *Sphacelus*. Germanis nostris audit & impropriè **der kalte Brand**/ meliori verò jure vocari potest **die vollkommene Ersterbung**/ sive perfecta νέκρωσις.

IV. Est enim *Sphacelus*, totalis partium, non mollium tantùm, sed & durarum, mortificatio, cum fœtore insigni, nigrore, & sensus tactûs integrâ ablatione, orta à sanguinis atque Spirituum animalium influxu prorsus ablato.

V. Ex hisce Definitionibus jam abundè patet, partes tunc Gangrænâ affici, cùm ipsarum tubuli ita sint obstructi, ut paucissimus sit sanguinis, & succorum per illos influxus, ac transfluxus. Dicimùs paucissimum in Gangræna esse influxum, ad differentiam scilicet indicandam, quæ inter Illam, & Sphacelum intercedit, in quo nullus planè adest sanguinis, reliquorumque succorum influxus, sed tubuli omnes disrupti, corrosi, fracti & dilacerati; imò sanguis, reliquique succi adeò corrupti existunt, ut nullus motus intestinus, nullavé fermentatio naturalis ampliùs inter ipsas fieri possit, quin sæpè induant naturam Mercurii sublim. corrosivi, omnia erodentis; unde vitali succo, ceu calido & humido naturali non ampliùs influente, vita partium dissolvitur, omnia redduntur cadaverosa, & vitæ expertia. Ex quibus simul patet, differentiam illam, inter utrumque horum affectuum occurrentem, nonnisi gradualem esse, dum circulatio humorum in Gangræna impediatur, tubulis quibusdam adhuc existentibus apertis; in Sphacelo autem prorsùs tollatur, ob tubulos penitùs corrosos, aut aliâ ratione laceratos.

VI. *Subjectum* Gangrænæ ac Sphaceli, uti in Definitionibus

bus expressimus, sunt partes tàm molles, quàm osseæ: imò partes corporis humani omnes, & internas & externas Gangrænâ ac Sphacelo affici posse, præter experientiam quotidianam, compluribus & innumeris Medicorum Practicorum observationibus patet; sic scrotum, brachium, faciem, digitos, pedem, tibiam, &c. sphacelata observavimus. Sic nec viscera ab eo malo insontia sunt, inprimis Intestina, quæ in Dysenteria, Ileo, Herniis, sæpiùs sphacelata reperiuntur. Sic nuperrimè Omentum, scroto incarceratum, sphacelatum notavimus. *Dodonæus* vidit puerum 6. annorum, cui sphacelus brachia, manus, pedes, nares & aures occupavit, ita ut, licèt mutilatis Sphacelo infectis membris vitam conservare studuerint Chirurgi, miserè tamen perierit. Cerebrum quoque sphacelatur, post vulnera, aut in phrenitide. Nec Cor immune, sed sideratum & escharoticum, in homine Peste interemptô, inventum, tradunt *Helmont.* & *Thom. Bartholin.* Porrò etiam toto die observamus, partes illas, quæ paucis gaudent nervis, aut etiam à corde sunt remotiores, hoc est, quæ sufficientem accipere nequeunt sanguinis ac succorum influxum, dicto sæpiùs affici malo, unde quoque inferiores corporis humani partes, præ superioribus magis invadi Gangrænâ, conspicimus, quia scilicet in illis circulatio sanguinis difficiliùs quàm in superioribus procedit, adeoque frequentior ad stagnationem ansa habetur, cùm ob motum magis lentum succi circulantes, ibidem crassiores subinde evadant.

VII. *Proxima* Gangrænæ *Causa*, non est, nisi circulatio humorum impedita; hinc succi illi, dùm motum suum per tubulos partium, habere nequeunt, ibidem hærendo, multas obstructiones efficiunt: unde ob sanguinis venulas distendentis colorem, pars nunc rubicunda, nunc livida evadit; ob particulas autem, in succis stagnantibus, rapidiore motu agitatas, dolor, atque ardor ille acerbus, contingunt. *Caussa* sphaceli *proxima*, est tubulorum in parte affecta dilaceratio, quæ ex Gangræna enascitur, in qua succi stagnantes, adquisitâ acrimoniâ corrosivâ, spiculis suis scindentibus, fibrillas quascunque obvias solvunt, sicque efficiunt, ut solutâ tubulorum compage circulatio, nunquam restituatur, sed pars emortua, & nigra,

rescindenda, separanda sit, sensu omni, ob spirituum animalium perditum influxum, privata.

VIII. *Caussæ Antecedentes* horum Affectuum, sunt particulæ, salino-acidæ, acres, quæ partim occasione intemperiei, sive nativæ, sive adventitiæ, partim occasione Diætæ vitiosæ, Massæ sanguineæ copiosiùs accesserunt, eamque ad stagnationes idoneam reddiderunt. Sic & morbi quidam, vel maligni nimis vel malè curati, Gangrænas, atque sphacelum, post se trahunt. Qui ex Peste, Febribusque aliis malignis, intereunt, ex Sphacelo partium internarum, inprimis glandulosarum, enecantur. Hinc *Clariss. Theod. Zvingerus, Physic. in Academ. Basil. Prof.* non ita pridem in exenteratione pueri cujusdam, Variolis extincti, observavit quamplurimas Hepatis, atque circa Lienem, ut & plerasque mesenterij glandulas tumentes, & prorsùs sideratas. *Excellentiss. Dolæus, Archiater Haßiacus*, Pastorem quendam, post Febrem Petechialem Sphacelo sinistræ tibiæ correptum, adnotavit, *in Encyclopæd. suâ Chirurg. Ampliß. Tulp.* autem *Observ. Med. Libr.* 3. *cap.* 48. in muliere quâdam, Febrim in Sphacelum immedicabilem sinistri brachii, solutam fuisse, memoriæ prodidit.

IX. *Causæ procatarcticæ*, & externæ, variæ sunt: Inter illas se offert, primò Aër, qui docente *Hippocr.* ut mortalibus est causa vitæ, ita & morborum, ac sæpè mortis. Inprimis aër frigidissimus, multùm ad hunc affectum excitandum, contribuere potest, in istis enim regionibus, ubi frigus semper præ dominatur intensissimum, ut Islandia, Grönlandia, Norvvegia, &c. plures auribus, naribus, & digitis orbari, asseritur: Quando scilicet à particulis aëris gelidi valdè rigidis, fibrillæ partium nimis crispantur, sensimque ad Sphacelum ducuntur; quod citissimè contingit, quando rigida membra subitò excalefiunt. Sic & alimenta frigida, crassa, acido-corrosiva, suum symbolum addere possunt: Evacuationibus, & Retentis Præternaturalibus, etiam quandoque culpa adscribenda, ut sunt Hæmorrhagiæ magnæ, Hæmorrhoidum, Lochiorum, Mensiumque fluxus immodicus; aut retentus; sanguis enim jam extra vasorum ostia exclusus, ac ita retentus, & congrumescens, ulcera, ac necrosin inducere aptus est, ut docent monu-

menta

menta Medicorum. Ex urinæ ſuppreſſione Sphacelum procreatum, in ſuo filio obſervavit, *Clariß. Fabric. Hild.* Sic *Paræus, libr. II. cap. 3. Obſerv.* dicito, ex Anthrace, & Carbuncule Sphacelum proveniſſe. Affectus hic quoque excitatur à morſu animalium venenatorum, imò canum rabidorum, uti Exempla teſtantur. In Paſſione Iliaca, Fracturis quoque & Luxationibus, Ulceribus, Vulneribus; item nervorum læſionibus, & aliis plurimis morbis, huic affectui fores aperiri, quotidiè obſervamus, præprimis ſi ab *imperitis Barbitonſoribus* tractantur: contingit etiam in Hydrope, quoniam partes, per longum temporis ſpatium ab aquæ abundantiâ, diſtentæ ſunt, tandem & ruptæ, aut eroſæ; è quibus ſerum copiosè effluens, nimisque collectum, tubulos quoſcunque vicinos comprimit, ſuâ quoque acrimoniâ arrodit, uſque dum denique circulationem ſuccorum impediendo morbum hunc producat. *Borellus Obſervat. 3. cap. 3.* narrat, in Nobili quadam matronâ digitum fuiſſe amputatum, ob Sphacelum, ab aciculæ puncturâ, productum. Sic ante aliquot annos, præfatus *Clariß. Zvingerus*, Virginem 20. circiter annos natam, Familiæ Nobiliſſimæ vidit, cui manus dextra leviter inflammata, ac ſub imperita & negligenti curâ *Inſulſi illius Agyrtæ Hagenheimenſis Marci* Bacher, ſphacelata, prorſus reſecari debuit, ut mutilata ſic lectiſſima Virgo, quotidie *Nebulonis* illius crudelem ignorantiam deteſtetur. Ex fortiori conſtrictione faſciarum, in fractis membris obſervatur Gangræna, ac Sphacelus. *Hildanus* ſubinde in immoderatum uſum remediorum adſtringentium, (quæ Practicis malè defenſiva audiuntur,) Sphaceli cauſam reiiciendam eſſe cenſet. Aliquando & gangræna contingit ab immoderatâ, & inconſultè temereque tentatâ Inflammationum refrigeratione. In contuſionibus denique non infrequenter Sphacelo partes affici, Obſervationes abundè teſtantur.

X. Signa diagnoſtica quod attinet, Gangrænæ ex Inflammatione inditium eſt, cùm color ab initio flavus apparet, mox malô ingraveſcente cum immaniſſimis doloribus, & cruciatibus, abit in fuſcum, ac liveſcentem colorem; Et ſimul exoriuntur puſtulæ grandiores, ichore loturæ carnium ſimili refertæ: Si dolor remittit, & ſenſus tactûs manet, tunc Gangræna

græna remittit. Si autem dolor cum ſenſu tactûs recedit, parsque nigra, & frigida, ad tactum redditur, Sphacelum omninò concipit, & totalem Necroſim, inprimis dum tumor, qui antea extenſus eſt, nunc collabaſcere incipit, & digito preſſus, foveam inſtar Oedematis relinquit. Gangrænæ verò à frigore ſigna erunt, dolor pungens, qui tamen brevi miteſcit, ſi quoque pars livida, & locus evadat inſtar, glaciei frigidiſſimus. Si ab Hydrope, dolores ab initio ſunt mediocres, ſi verò pars ad mortificationem tendit, dolores ingraveſcunt, pulſus fit minor, parsque liveſcere incipit. Si à conſtrictione, ligaturâ fortiori, affectus hic exortus fuerit, ex duritie partis, tumore, doloribus intenſis, ex Inflammatione, veſiculis aquâ repletis, & nigrore, ſeu livore partis cognoſcitur, membrum fit grave, cutis ab ipſa carne diſcedit. Iam ex morſu venenatorum, punctura, &c. ortas Gangrænas, iisdem ferè ſignis, quibus ab Inflammatione natas, cognoveris, quas inſequuntur Febres malignæ, cum deliquiis animi, Vomitibus, & Deliriis. Gangrænam, in Sphacelum tranſiiſſe, partemque omninò & penitùs emortuam eſſe, certò ſcies, ſi illa liveat, aut nigreſcat, tumida, mollis, & cadaveroſa appareat, idque ſine ullo arteriarum pulſu, nec dolor adſit, nec ſenſus ullus, ut etiam citra ſenſum doloris, altè ſcalpellum adigi poſſit, ſine ſubſequente ſanguine: Si pars fœtidum, eumque adeò acrem emittit halitum, ut adſtantes vix ferre valeant. Adeſt Febris continua, ſæpè & maligna, cum ſuis Symptomatibus. Quæ accidentia pleraque, ſi non omnia, facilè ex ſuccis ſtagnantibus, horumque particulis, à materiâ ſubtili rapido motu percurrente, validiùs agitatis, rotatis, hincque in fibras allidentibus, easque rodentibus, &c. explicari poſſunt.

XI. Recenſitis diri Affectûs, cauſſis & ſignis, *Prognoſin* ſubnectamus. Cùm autem tanta atrocitas & malignitas hujus mali ſit, ut, niſi ocyſſimè ſuppetiæ ferantur, pars interitura, imò mortificationis ſuæ contagio vicinas partes infectura ſit, inſuper Chirurgus nonnunquam, deſperato jam penitùs malo ad vocetur, inſtitutâ exquiſitâ Prognoſi, Medicus ſtudiosè proſpiciat, ne incautè ſe ſuamque artem proſtituat. Gangrænam ex quacunque cauſsâ profectam, gravem morbum eſſe, nemo

eſt

eſt qui ignorat. Sunt tamen diſtincti gradus, quibus aliæ mitiores & curatu faciles, aliæ pernitioſiores, aliæ tandem incurabiles exiſtunt. *Celſus* enim ait, *Gangrænam, ſi nondum planè obſideat, partemq́, teneat, ſed adhuc incipiat, curatu non difficillimam eſſe, præcipuè in corpore juvenili.* Dicimus ergò, recentem Gangrænam, & ſuperficiariam corruptionem in cute & carne, haud tamen inſigniter nervos, venas, tendines, &c. occupantem, medelam ſuſcipere, atque curari poſſe, minimè verò ſecùs ſe habentem, & in Sphacelum valdoperè degenerantem. Gangræna, occupans internas & nobiliores partes, præſertim cerebrum, hepar, lienem, meſenterium, inteſtina, &c. lethalis ſemper eſt; Externarum verò Gangræna curationem meliùs admittit. Sic & Hydropicorum tibiis, & ſcroto, quæ ſupervenit Gangræna, difficilis curatu eſt. A cauſis externis, quæ provenit, contuſione, uſtione, fracturis, vulneribus, &c. ſanabilior, & minùs periculoſa habetur eâ, quæ ab internis proficiſcitur cauſis, ſanguinem coagulantibus. Si Gangrænæ non ſtatim occurratur, tranſit in Sphacelum, ſucci enim continuò magis magisque coagulantur, & ſic mortificatio fit. Sphacelus perfectionem adeptus, niſi ferro & igne tollatur, immedicabilis exiſtit, ſerpit enim promptè, vicinasque partes invadit, & hominem ipſum citò jugulat; quamobrem ſecundùm *Ovidii* dictum, quidquid corruptum, eſt

Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Sphacelus enim, ſeu emortuum membrum, niſi à ſanis partibus tempeſtivè præcidatur & amputetur, primùm proximas partes, dein alacriter procedendo, majora vaſa, nervosque inſigniores mortificat, ſicque ſubinde intra 24. horas, Necroſis, à partibus minoribus communicatur majoribus, venenumque hoc corroſivum integram ſubit liquorum circulantium maſſam, ut eorum motus vitalis promptè ceſſans, hominem neci tradat. Ad ſalutem hinc terminatur Sphacelus incipiens, ſi ſuppetiis à medicamentis generoſis allatis, omnia tolerabilia apparent, circulatio humorum reſtituitur, gravioraque ſymptomata remittunt & evaneſcunt. Ad mortem verò tendit, ſi neque generoſiſſimis medicamentis quid efficitur, ſed ſymptomata ingraveſcunt, pars nigreſcit, & cadaveroſum ſpargit

 fœto-

fœtorem, ſudor frigidus à toto promanat corpore, & jactationibus, deliriis, ſingultu æger defatigatur; vel Syncope ſubſequitur, tunc enim cum horrore & tremore, mors horrida cito pede inſequitur.

XII. Gangrænæ curandæ Indicationes, ab affectûs varietate, ſunt petendæ, nam pro ejus magnitudine, & eſſentiâ diversâ variè inſtituitur curatio. Primaria tamen indicatio eſt, ut ante omnia obſtructio tollatur, & ſuccis ſtagnantibus liberior concedatur tranſitus & motus progreſſivus; id præſtamus tàm internis quàm externis, in quem finem varia exhiberi ſolent Diaphoretica, abſorbentia, balſamica, oleoſa, ſpirituoſa, ſalia volatilia quæcunque &c. Hinc proſunt omnia antifebrilia, inprimis antimoniata, cum Diaſcord. Fracaſtor. camphorâ, omnia theriacal. &c. Externè applicantur Fomenta ſpirituoſa, tubulos, fibrasque relaxantia, ſimul & calore ſuo viſcidum attenuantia.

XIII. In Gangræna ab Inflammatione, & ab applicatis remediis contrariis, frigidis ac repellentibus, eò reſpiciendum eſt, ut priùs iſta abjiciantur: dein pars gangrænoſa examinanda probè; in qua ſæpè ſucci coagulati, & ſtagnantes, ſale ſuo volatili deſtituti ſunt, qui quâ datâ portâ avolant, ſanguis cum reliquis ſuccis non ampliùs circulantibus, ſtagnat, perverſeque mixtus eſt; Salia acida ac corroſiva, cùm ad partem læſam ſibi imperium rapiunt, canaliculos ferè omnes diſrumpunt, & ſic fores effringunt, reliquis obſtructis relictis: ad quos aperiendos & ſuccos corruptos, ſtagnantesque fluidiores volatilioresque reddendos, ſudorifera ex ſuperiùs dictis, Diaſcord. Theriac. ſpir. C.C. vol. ocul. cancri, antim. diaphor. parata, aliaque acidum, inprimis temperantia remedia conducunt. proin ſeqq. mixtura cochleatim exhibeatur.

℞. Aq. card. bened. meliſſ. ā. ℥jß.
theriac. camphor. ℥ß.
Syrup. rub. id. ʒvj.
Spir. C.C. vol. ʒß.
Antim. diaph. ocul. ♋ ppt. ā. ℈j. M. ad V.

Externè verò ſtatim applicari poterit calidè ſpir. vini theriacal. vel camphoratus. Sequens fomentum non inutile erit

℞. Rad.

℞. Rad. Aristol. utriusque. Valerian. Scorzon. Imperat. an. ℥ß.
Herb. scord. rut. rec. absinth. major. origan.
Flor. calend. samb. chamom. an. Mß.
Bacc. laur. junip. an. ʒiij.
Myrrh. el. ʒjß. camph. ʒj.
Incisa & contusa, coq. in vin. alb. vet. sufficienti quantitate, in vase duplici. coctura linteis calidis excepta, insuper spir. vini camphor. vel Rore minerali conspergatur, & calidè applicetur.

In malo contumaciori, spirituosa, ut sunt Elix. vit. Tinct. castor. &c. cum camph. majori quantitate usurpanda sunt; inprimis spir. salis amon. in vitro benè clauso lentè calefactus, calidè applicetur, & Fotus iterum imponatur calidè, omnique bihorio vel citiùs repetatur. Aqu. calc. viv. vel per se, vel cum spir. vin. camphor. mixta, in Gangræna ac incipiente Sphacelo egregium est remedium. Urina humana, stercus vaccin. vel caballin. ob sal volatile quod possident, in rusticis aliisque plebejis summum est remedium.

XIV. Si Gangræna producitur, uti diximus, ab externo frigore, à quo succi nostri quasi congelati sunt, & in coagulum abeunt, & quidem à defectu materiæ subtilis, illos perfluentis, cùm nempe in aëre non sufficiens motus materiæ subtilis adfuerit ad humores fluidiores servandos; tùm membra refrigerata non statim igni admovenda sunt, ad congelationem tollendam, & calorem inducendum: sed priùs nive fricentur, vel aquæ primùm frigidæ, & post aliqualem moram, paulatim tepidiori redditæ, immittantur, succi enim congelati sensim ac sensim ita resolvuntur, & ad pristinam mixturam pristinumque motum tàm intestinum quàm circularem reducuntur & rediguntur; postmodum succi jam aliquatenus attenuati & resoluti, calore fortiori sunt dissolvendi, in quem finem conducet sequens vel simile balneum, aut ex iisdem ingredientibus paratus fotus.

℞. Rad. angel. galang. an. ℥ß.
rapar. bryon. an. ℥jß.
H. Rut. scord. rorism. absinth. nicot. an. Mjß.

Sem. cum. urt. an. ʒij.
Sal. ammon. ſal. tartari an. ℥ß.

Coq. in parte una vin. opt. & 2bus part. urinæ; hinc membrum congelatum calidè immittatur, & dein fricetur ſequenti, vel ſimili mixturâ,

℞. Spir. vin. camphor. ℥ij. Spir. cochl. ℥ß.
Ol. guaj. junip. terebinth. philoſophor. an. ʒj. M.

Si verò pars tendat ad Sphacelum, imponatur ſuprà dictus fotus, & procedi poteſt eodem modo ac ſuperiùs recenſuimus. In hoc caſu præter externa, etiam interna uſurpanda ſunt, præſertim ſudorif. quæ omnem implent paginam.

XV. Si Gangræna ab Hydrope fuerit producta, cùm partes diu à ſuccis ſtagnantibus & evaſatis fuerint diſtentæ, hinc omnis partium textura perdita ac diſrupta, à corroſivis iſtis humoribus, qui inſtar lupi eſurientis omnia corrodunt, devorantque; curatio eſt inſtituenda, quæ non multùm differat à priori jam dicta, & ſæpè magno cum effectu ſequenti remedio uſi ſumus

℞. Aq. calc. viv. ℔ij. Spir. vin. camph. ℔ß.
Elix. vit. ℥j. M. Applicetur calidè cum linteis dupl.

Sequens non erit uſus contemnendi:

℞. Rad. Angel. ariſtol. rot. an. ℥j.
H. ſcord. rut. ſalv. major. an. Miij. cochlear. Mij.
Sem. card. bened. eruc. ana ʒß.
Bacc. junip. laur. an. ℥j.

Coq. in urin. & lixiv. ſuffic. quant. & quater de die foveatur pars, linteis hoc decocto calido madidis.

XVII. Gangræna à ſcorbutico ſale excitata, utplurimùm Infantes infeſtat, quorum dentes ſæpè omnes excidunt, gingivæ fœtent, os maxillæ corruptum corroſivumque conſpicitur, facies adeſt pallida, nonnunquam œdematoſa. Ut ergò ocyſſimè huic affectui occurratur, neceſſe eſt, hinc eluentur partes infectæ cum ſpir. vin. camphor. Balſ. nerv. permixto. Vel quod fortius eſt, aqua calc. viv. cum aq. phagedæn. permiſcetur, dum flaveſcit, addito, ſi lubet, tantillo ſpir. vin. camph. & pars cal. frequenter foveatur: hâc tamen aquâ gingivæ non ſunt eluendæ, ut, quæ aliis antiſcorbuticis oris collutio-

lutionibus indigent; quemadmodum aliàs hoc in malo ſemper antiſcorbutica admiſcenda ſunt, v.gr. ſpir. cochlear. trifol. fibr. naſturt. beccabung. &c. Interne conducunt varia antiſcorbut. inprimis ſequens:

℞. Elix. vit. ʒij. Spir. trifol. fibr. cochl. an. ʒj.

M. de quo aſſumi poſſunt, X. XV. ad XX. gutt.

Hujus remedii ope, mucus acidus in primis latens viis, attenuatur temperaturque, ac ipſe ſanguis, reliquique ſucci edulcorantur. Decoct. lignor. adjectis Herbis aromat. cochlear. becabung. trifol. fibrin. roriſmar. bacc. junip. &c. interponi poteſt.

XVII. Quodſi Gangræna fuerit à morſu venenatorum animalium, tunc in primis conveniunt ſudorifera, qualia ſunt Theriacal. Diaſcord. Bezoardica, aliaque, quæ in Febribus malignis uſualia ſunt, omnia enim ea & hîc juvamen præſtant. Externè ſcarificatio & quidem cum cultellis, profundè adactis prodeſt, cum ſanguinis proba extruſione. Deinde parti affectæ ſuperiùs annotatus fotus applicetur. Hîc etiam proderit Theriac. vel Diaſcord. in ſpir. camph. vel theriac. diſſolutum, & tepidè applicatum, ut & aq. calc. viv. &c.

XVIII. Si Gangræna natales ſuos accepit à combuſtione, aut à contuſione vehementiori, cura non differt ab alia; uti & illa, quæ fit à forti ligatura, quam Chirurgus non uno ſtatim actu perfectè, ſed ſenſim ac ſenſim ſolvat & laxet, ne uno impetu ſanguis & ſucci ruant in partem affectam, & ipſam nimis extendant; dein Fotus aromat. & reliqua ſpirituoſa ſæpiùs jam dicta imponantur. Emplaſtra hîc, ut in aliis Gangrænæ ſpeciebus haud conveniunt, quia poros magis obſtruunt, ſicque malum adaugent; ſed medicamenta calida ſemper imponi debent.

XIX. De ſcarificatione partis Gangrænoſæ, ac Sphacelatæ, hodie inter Medicos controvertitur; ob ſanguinem attrahendum Veteres plurimi inſtitutam voluerunt: ſed Neoterici quidam eandem adminiſtrari cupiunt ea propter, quod ejus ope ſanguinis motus, & vigor in partibus reſtituatur. *Botall. de vulnerib. ſclopet.* hôc remedio ſe plures liberâſſe aſſerit, & nullum aliud præſtantius, atque tutius, ſi in tempore uſurpetur, inveniri addit. Sed *Celeberr. Overkamp*, aliique huic contradicunt, qui

partem jam ſufficienter ſcarificatam eſſe inquiunt per minutiſſimos cultellos intùs latentes, per quos textura partium laceratur. Præterea dicunt, quòd viæ, per quas medicamenta penetrare debent, ſatis apertæ exiſtant, & non opus ſit eas majores efficere; hinc magis noxias proclamant ſcarificationes, utpote vaſa lacerantes, diſcindentes, ex quibus ſucci evaſentur, & coagulentur, ſicque magis ad putredinem anſa detur: Addunt, quòd aër externus, ſanguinem magis corrumpat, & coagulet, quia ipſum jam apertè aggrediatur, quod non poſſet efficere, ſi ſanguis vaſis ſuis integris recluſus permaneret; contrà *Celeberr. Broen, de dupl. bile Veterum*, his reſpondet dicendo: Verùm me herclè alia planè ratio eſt, inter ſciſſionem illam internam, ab acidis particulis, & externam, per cultellum inciſorium; Illa enim malum auget; hæc verò mitigat, non quidem per ſe, ſed per conſequens. Primò enim ſanguis ſanus, & floridus, in partem affectam effluens, quatenus per poros ſuos tranſmittit materiam ſubtilem valdè peregrinam ab illa, quæ poros partis gangrænoſæ l. ſphaceloſæ perfluit, fermentum illud acidum ibidem hærens, commodè valet infringere. Nec eſt, ait, quòd quiſpiam aëris acceſſionem metuat, in ſcarificatione, quia tempus non tàm diuturnum requiritur, ut noxii aliquid ab aëre poſſit adferri, inprimis cùm interea ad uſum revocetur egregium Lavamentum, Sale oleoſo-volatili turgidum. Nos verò ut dicamus, quid de ſcarificatione ſentiamus, credimus firmiter eam non modò non noxiam, ſed aliquando etiam utilem eſſe, cùm remedia topica hinc eò melius in vaſa & tubulos penetrent, ſuccos in iiſdem coagulatos reſolvant; Et, quod præcipuum eſt, ſanguis per vaſcula inciſa, meliùs ad partem influere, & etiam inde effluendo, corroſivas ſimul particulas, ſecum rapere poteſt.

XX. Quòd attinet curam Sphaceli, eò tantùm adnitendum eſt, ut pars corrupta & emortua benè à ſana ſeparetur, ne pars ſana ſimul labem adquirat. Si ergò Gangræna à neglectis optimis remediis, migraverit in Sphacelum, isque planè perfectus fuerit, majori vi procedendum, & quia, quamcunque etiam partem invaſerit, brevi hominem trucidat, ultimum remedium ad manus eſt ſumendum, parsque emortua citò, tutò

tamen

tamen resecanda, aut urenda. Optandum equidem foret, operationem talem nunquam in usum trahi debere; sed tamen consultiùs esse existimamus cum *Celso*, anceps remedium quàm nullum experiri. Unicum enim servandi corporis remedium restat, membrum videlicet emortuum, & corruptum à sano rescindere, vel candente etiam ferro extirpare. Crudelem siquidem Medicum necessitas facit, nam crudele malum, crudeli remedio expugnandum; satiùs est, partem aliquam perire, quàm totum hominem: Nec illa dura videtur curatio, cujus effectus salutaris est. Quamvis verò Auctores circa modos amputationis inter se valdè discrepent, commodissimus tamen modus nobis videtur sequens; scilicet antequam incisio fiat, implorato Divino auxilio, patiens volatilibus & spirituosis est roborandus; & omnia, quæ ad hoc opus requiruntur, instrumenta, & alia necessaria in promptu sint, ut citò hæc operatio peragi possit. Dein detineatur vel imponatur patiens in scamnum conveniens; Chirurgus si ex. gr. pedem sphacelatum altiori scamno firmiter fasciis alligaverit, trahat cutem, musculos & carnem sursum versùs sanas partes, ut scilicet operatione peractâ, ossi denudato iterum obduci possint, sicque vinculô validô arctissimè constringat, partim ad doloris imminutionem, partim ad Hæmorrhagiam nimiam inhibendam. Factâ hâc ligaturâ, in sana parte 3. digitos latâ, (quem modum ego, cum *Hildano* & aliis longè præfero) carnem, usque ad os, scalpello aliquantulum falcato, circumcirca dividat, ita ut periostium quoque undique pertundatur, quod postmodum eo in loco, cui serra admoveri debet, abradendum; hinc serram huic rei aptatam ossi Chirurgus imponat, sicque illud citò, tutò, agilique cum dexteritate detruncet. Factâ sectione, sunt, qui cauterium actuale, remedium non semper contemnendum, admovent: Alii autem hanc adustionem damnant, & tantùm imponunt stuppam cannabinam, albumine ovorum madefactam, & pulv. stypt. insparsam; vel solo liquore styptico imbutum linteum imponunt, & vesicâ bubulâ obtegunt. Quô factô membrum deligetur, sicque deligatum, per duos tresvé dies detineatur. Posteà autem, ablatis ligaturis, opera detur, ut eschara decidat, quâ separatâ, vel filo vulneris os latis

futuris

ſuturis conſtringendum, vel per Emplaſtra cutis attrahenda; Ulcus debitis digeſtivis mundificandum, pulveribus abſorbentibus, & glutinantibus ſiccandum, ac ſic faſciis diligenter involvendum, ne aër conglutinationem impediat, & corruptionem ac nigredinem oſſi inducat. Atque ſic pergendum eſt ad uſque plenariam ab ægro recuperatam ſanitatem.

XXI. Quantum ad Diætam, illa ſic inſtituenda, ne illius ſiniſter uſus morbi cauſam gignat, & vim medicamentorum impediat. Aër itaque ſit purus, temperatus, ſerenus, non autem fuliginoſus, nebuloſus, frigidus, aut aliis inquinamentis infectus, ſi autem talis, corrigendus erit ſuffumigiis ex ſantal. citr. lign. junip. aliisque aromatic. inſtitutis. Eligantur cibi boni ſucci, facilisque digeſtionis, facilèque in ſuccum laudabilem & ſanguinem abeuntes; commendantur ova, aviculæ, juſcula caponum, gallin. &c. Vitentur contrà omnia acida, auſtera, ſalſa ac ſaccharata, ſanguinem & ſuccos noſtros facilè coagulantia, corrumpentia, & ſtagnationem obſtructionemque producentia, quæ hîc, ceu Peſtis fugienda ſunt. Potus ſit vel cereviſia benè cocta, ac Herbis aromat. appropriatis correcta, vel vinum dulce, vel aliud minùs acidum. Potus omnis frigidus fugiatur. Motus & quies, ſomnus & vigiliæ, ut ſibi invicem reſpondeant, ſummo ſtudio annitendum, alternâ enim requie quod caret, durabile non eſt. Animi pathemata ſunt frœno rationis coërcenda. Excretorum & retentorum, ut in omnibus, ita & in his affectibus, maxima eſt habenda ratio. Alvus ſit aperta, & ſi officium ſuum denegat, ſuppoſitoriis, clyſteribus, ſollicitanda. Menſes quoque, Hæmorrhoides, urina, ut legitimè evacuentur, omni ſtudio proſpiciendum.

F I N I S.